



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Indicibvs Illvstratvs Et Avctvs Concionatoriis

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

Avctoris Indicvm Ad Benevolvm Lectorem Præfatio Monitoria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77031)

AUCTORIS: INDICVM

AD BENEVOLVM

LECTOREM

PRÆFATIO MONITORIA.



BENEVOLE LECTOR,

Nolim cogites, dum in primo nostro hoc absoluto Drexeliano Volumine in omnes anni Dominicos, sed non in festos dies, formatas reperis Conciones; quod tamen sacro satis promisso, frontispicalis primi Tomi facies, spondet,

— *Amphora cœpit,*

Institui, currente rotâ cur præceus exit?

Promissa enim non rescindo, sed in hoc secundo opere exequor: loculos sacerrimos sine fundo trado, & indico quovis thesauro pretiosiores, è divite hoc Drexeliano penu apporto & sisto gazas. Quæ enim ab hoc nostro Auctore hactenus hinc, indèque sparsum suis in opusculis gemmæ enitent, eas ligaculo quasi in uno confertas, unâ tibi expendo & commonstro die. Ut & Tu aliquando, dum ipsa temporis sic consulit exigentia, avidis piorum Auditorû & subditorum expendas auribus, sicquæ & Regna, & Provinciâs, & Provinciarum singulas urbes non reddas ditiores; sed (ita ô Deus voveo!) emendatiores. Demûmque tandem sub hoc ipso sæculorû fine tam petulci quàm rudes per orbem sparsi mortales recta sapere discant & facere. Dominici festivi que dies per integrum occurrentes anni decursum plus minus (nî fallar) nonaginta sunt. Priori in Volumine, Dominicalibus symbola sua moralia dedi, nunc verò Festivis, non ex uno, sed ex utroque collectis Tomo Themata & sua symbola præfigo. Ne verò tuo vel tædio, vel temporis dispendio per folia volvendo, eadêm & revolvendo frustra cursites, dum scriptiõnis ordinem igno-

* 2

ras,

PRÆFATIO.

ras, eundem trado in hac nostrâ præfatione monitoriâ, com-
 pendio. Post formatam Catechesin nostram Drexelianam, in
 quâ præcipua fidei nostræ Catholicæ mysteria discursu brevi
 illustrantur, quo ea facilius ipsa inerudita percipiat juven-
 tus. Virtutum dein & vitiorum exactæ traduntur definitiones &
 descriptiones per subjecta schemata, subinde ad quidditates
 suas redacta, aliâ prorsus methodo, quàm in priori Volumine
 digesta. Ibi siquidem tradita Christianæ fidei dogmata exem-
 plis & historiis assignatis quasi confirmantur, hîc verò dis-
 cursu augentur & exornantur. Conciones conformo in om-
 nia IESU Christi Salvatoris nostri Festa. Deinde Marianus sum,
 & diebus Excellentissimæ D. Virg. Dei Matris consecratis the-
 mata sua moralia præfigo: Ponè in omnes reliquos anni dies
 Divis omnibus sacros quædã utiliter è cathedrâ dicenda pro-
 pono. Subjungo deinde Conciones aliquas honorarias, quas,
 ut vulgò vocant, in jubileis Episcoporum, Abbatum, & Præposi-
 torum infulationibus, subinde habendas exigit temporis ra-
 tio. Quadragesimales verò Conciones, quibus & ingero raram
 & singularem Passionis IESU Christi Salvat. nostri concionan-
 di methodum labori nostrò hoc arduo (non enim ea tam ab
 uno mense, hebdomade, aut etiam anno, sed ab annis pluribus
 collegi & excerpfi, dum cathedra & alto digna dicere non
 levem poscit apparatus) coronidem imponunt. Hoc tamen
 velim, benevole Lector, priusquam te valere jubeo, ut accura-
 tè in assignatos numeros oculos tuos defigas non enim te tan-
 tummodo, ut in prioris Tomi Indice, ad hoc unicum secun-
 dum Volumen, sed subinde ad utrumque remitto, quò re-
 ctiùs sum scenore dem, alium quòd antè promisi, Vale, mi
 Lector, & ut plura (quod brevè me facturum spero) ad totius
 Ecclesiæ bonum & progressum, ad hæresium extirpationem,
 & in Tuum aliorumque commodum edam & prælo com-
 mittam, Deum Opt. Max. cui soli omnis honor & gloria
 precare. Dabam Brugis pridie sanctissimi Patris nostri Augu-
 stini 28. Augusti 1643.

GYM.